

vel vero etiam negotiis contemnendum. adiunguntur  
pericula vitae, turpisque ab his formido mortis forti-  
bus viris opponitur, quibus magis id miserum videri  
solet, natura se consumi et senectute, quam sibi dari  
5 tempus ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda  
naturae, pro patria potissimum reddere. illo vero  
92 se loco copiosos et disertos | putant, cum calamitates  
clarissimorum virorum iniuriasque iis ab ingratis  
inpositas civibus colligunt. hinc enim illa et apud 5  
10 Graecos exempla, Miltiadem victorem domitoremque  
Persarum, nondum sanatis vulneribus iis quae cor-  
pore adverso in clarissima victoria accepisset, vitam  
ex hostium telis servatam in civium vinclis profudisse,  
et Themistoclem patria quam liberavisset pulsum at-  
73 que proteritum, non in Graeciae portus per se ser-  
16 vatos sed in barbariae sinus confugisse quam adflixerat,  
nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque  
in amplissimos civis exempla deficiunt. quae nata et  
frequentata apud illos etiam in gravissimam civitatem  
20 nostram dicunt redundasse; nam vel exilium Camilli 6  
vel offensio commemoratur Ahalae vel invidia Nasi-  
74 cae vel expulsio Laenatis vel Opimi | damnatio vel  
fuga Metelli vel acerbissima C. Mari clades ... princi-  
pum caedes, vel eorum multorum pestes quae paulo